

**Nicolai Lancicij E Societate Iesv Opvcvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Requisita in prima probatione Societatis Iesu. Cap. XXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](#)

CAPUT VIGESIMVM SEXTVM.

Requisita in prima Probatione Societatis Iesu.

131. Ille bene peregit primam in Societate Iesu Probationem, qui ex illa transiuit ad secundam cum infra scriptis resolutionibus & fratribus in illa perceptis, ex lectione, meditatione, & instructionibus, quæ eo tempore dari solent ex Superiorum prescripto.

Primo, legit accuratè examen Societatis, & eius certas Bullas, ac Summarium Constitutionum, Regulaque communes, & ex iis memoriae bene impressis, res præcipuas, præsertim ex Summaria Regulam 8.9.10.11.12.16.17.20. 25.26.28.31.32.34.36.37.40. Ex communibus vero primam, 7.8.9.11.19.20.21.26.30.33.34.37.41. 42.44.

Secundo, vult resolutè & efficaciter omnes omnino seruare Regulas, præsertim paulò ante annotatas, & perseverare ad mortem in Societate.

Tertio, fecit bonam confessionem Generalem in primâ probatione iuxta examinis caput quartum. Quod si non fecit totius vitæ Confessionem generalem, eò quod ante illam alicui è Societate fecerit, saltem in Confessione, vel extra illam (prout vult) manifestauit suo Magistro in Nouitiatu præcipua peccata quæ in seculo commisit eti non tam exactè quod ad numerum, ut sit pro obtinendâ absolutione.

Quarto, Agnito suo malo statu in seculo, vult satisfacere Deo pro peccatis in seculo commissis, id est vult resolutè & animosè patienter ferte omnia, quæ illi in Religione molestiam adferunt, vnde cunque orientur, eò quod videat omnia talia longè leviora esse, & minus acerba, quam sint Inferni aut Purgatorij pena, quas meritus est per peccata in seculo commissa. Atque ita concipit amorem crucis, declarandum in tolerandis rebus omnibus, per quas molestiam aliquam percipere posse, vel in iudicio, vel in voluntate propriâ, vel in commoditatibus & laboribus corporis discretis, vel in confusione & contemptu sui & degradatione.

Quinto, Agnitus (in Reg. secundâ & 15. Sum.) præstantiâ finis, ad quem in Societatem vocatus est, scilicet omnimodâ perfectione suâ & aliorum enix procurandâ, resolutus le ad fugienda omnia quæ perfectionem impediunt,

vti sunt peccata quævis & imperfectiones: & ad acquirenda & frequentanda illa quæ ad perfectionem disponunt & ducunt, vt est obseruatio Regularum exacta, & frequentatio mortificationum spontanearum cum approbatione Superiorum exhibenda, & studium practica meditationis & examinum conscientiae.

Sexto, Cognito fine ad quem creatus est, & mediis ad illum consequendum datis, desiderat illum querere in omni occasione, & fugere ea quæ illum impediunt, quod minùs Deo ita seruat, & eum reuercatur ac laudet vita tenetur. Circa alia verò officia & gradus, & loca, & personas, ac occupationes indifferentes, constituit se in plenâ indifferentiâ, nihil ex se in particulari cupiens, nil derrectans, sed paratus est id acceptare, vel eo carere, quod Superior eius iudicauerit.

Septimo, Cùm sciat, & fortè experiri cœperit dæmonis tentationes non defuturas in Religioso statu, 1. præsertim in vocatione, 2. affectuum carnalium erga peccata seculi, vel erga personas inordinatè amatas, 3. auerstiones animi ab aliquibus, 4. tepiditatis & somnolentia in perficiendis actionibus & occupationibus ordinariis, 5. occultationis peccatorum vel temptationum periculosarum, & rædiorum in Religione vel officio, & rerum mali exempli in aliis comprehensarum, & suarum necessitatibus ad conseruandam corporis sanitatem necessariarum, resolutus se ad habendam semper suo Magistro apertam cōscientiam, vt nihil cum protinus velit latere, sed omnia ita ei esse perspecta, vt ipse ea in se perspecta habeat, quod possit secundus incedere & progredi in via Dei contra tentinas demonis.

Ottavo, Cùm videat se in secundâ Probatione debere viuere cum se melioribus, vult ita viuere, vt nullum suis moribus asperis vel Regularum violatione offendat aut scandalizet; id est proponit sibi præcipue aliquot, ynam vel duas saltæ Regulas, quas nunquam velit violare.

Qui cum his conditionibus venit ad secundam probationem, assequetur breui magnum in virtutibus profectum, si in his bonis resolutionibus perseveraverit. Nam, vt ait S. Basilius, in Moral. Reg. 58. cap. 4. Qui grato animo in donis, qua à Deo primum accepit, studiofùs seipsum exercuerit ad laudem Dei, si idoneus efficietur, cui alia dentur præterea. Ille est enim mos Dei, qui, vt dixit S. Cæsarius, vbi viderit devotionem animi, ardenter insinuabit affectum, & quantum nos apposuerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gloriam.

NICO-